



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio I. De Distinctionibus in Communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO III.

De Distinctionibus.



Magna pars Philosophiæ lucem accipit ex hoc Tractatu, imò & multæ Quæstiones Theologicæ; ponetur ergo sub una facie tota materia de Distinctionibus tractatio. Minoribus ferme ad alias materias relegatis. Hic solæ Majores tractabuntur. Commodè autem post Disputationem de Attributis, annectitur Disputatio de Distinctionibus; nam attributa dicuntur habitudinem Entis in ordine ad se, perficiuntque in se Ens. Distinctio autem dicitur habitudinem ad aliud. Hinc post consideratas perfectiones Entis in ordine ad se, consideranda veniunt habitudines in ordine ad aliud, ad eoque & distinctiones.

QUÆSTIO I.

De Distinctionibus in communi.

PRÆMITTEMUS in primis acceptionem terminorum, decisionem item de; An, & quid sit distinctio? &c.

DIFFICULTAS I.

Explicantur quidam Termini huc concernentes.

PRÆMITTO I. Aliud esse distinctionem, aliud divisionem, aliud diversitatem, aliud differentiam.

DIFFERENTIA est inter ea, quorum genus proximum idem est, formæ autem specificæ diversæ, Petrus & Bucephalus sunt differentes, cum ex eodem genere, hoc est ex animali participant; sed per formas speciei distinctas contracto, alia enim est species hominis, alia equi.

DIVERSITAS est inter ea, quæ & formas speciei differentes habent, & non participant in eodem genere proximo, sic v. g. lapis & homo sunt diversi, genus enim proximum hominis, est animal, quod non est genus lapidis; non est tamen necesse, quod diversa non conveniant in

aliquo genere communi remoto, hinc lapis & homo sunt diversi, & tamen conveniunt in ratione communi corporis, substantiæ, &c.

DIVISIO est separatio unius ab alio, ut cum separatur Paulus ab Andrea, vel una gutta, ab alia gutta. Divisio latius patet uno respectu, quam differentia singillatim, & diversitas singillatim accepta; quia Divisio & differentibus & diversis convenit, cum tamen differentia, non nisi differentibus competat, hinc non solum Petrus à Bucephalo dividitur loco, existentia, duratione, à quo differt specie, sed etiam dividitur à lapide, stella &c. à quibus est diversus, Alio respectu minus late patet divisio, quam differentia, quia differentia est tam inter unita, quam inter non unita, differrent enim anima hominis, & anima bovis, si eandem materiam informarent, & tamen non essent inter se disjunctæ. Divisio è contra nunquam est inter unita, unioq; ipsa, est divisionis exclusio, cum divisio, sit deunio.

DISTINCTIO denique est alienitas, carentia identitatis &c. competitque tam differentibus, quam diversis, quam divisis, quam non divisis; nam in Petro est indivisio animalitatis & rationalitatis, & tamen est distinctio.

PRÆMITTO II. *Quæ sit ratio ipsius totius partitionis terminorum.* Nulla sunt entia quæ in aliquo non sint indistincta, hoc ipso enim non essent entia, si distinctionem in ratione entis, ut sic dicerent, essent enim jam negatio potius entis, & non ens. Quia tamen hoc ipso, quia sunt entia, adeoque pluralitatem dicentia, debent habere distinctionem, si enim distinctionem non haberent, nec pluralitatem haberent, adeoque nec essent entia, sed ens; hinc cum plures sunt modi statuendi res in ratione entium plurium, debebat dari ratio communis his omnibus, & hoc est distinctio, quia autem poterant res plurificari etiam excludendo se ab eodem loco, & excludendo secum unionem, hæc exclusio appellatur divisio, quæ ipsa plura, si sine plura in genere proximo appellabuntur diversa, si plura in ratione specifica appellabuntur differentia.

PRÆMITTO III. *De ipsamet distinctione, in primis quod distinctio non sit idem quod alienitas, quia*

quia inter multa est distinctio inter qua non est alteritas, nam in divinis est distinctio inter Patrem & Filium, non est tamen alteritas, quia hæc supponit distinctionem in naturis. Rursus dici potest, quod distinctio cum alietate, sano modo sumpta sit idem.

Quod sic Explicatur. Alietas dupliciter accipi potest. I. Pro eo quod est ratio formalis ejus, quod vocatur aliud, seu alietas derivata à neutro, & sic alietas & distinctio non est idem, nam Pater in divinis est distinctus à Filio, non aliud à Filio; ly enim aliud, substantivum est, non est autem Pater à Filio, aliud substantivè. II. Accipi potest alietas derivando illam ab Alio, & prout est ratio formalis ipsius Alii, & sic non est dubium, quod distinctio & alietas, sit idem, ubicunque enim est distinctio, illic est & prædicta alietas, imò & in divinis reperitur, dicit enim Athanasius; Alia est Persona Patris, alia Filii; si alia, ergò hujus concreti, alia ratio formalis debet haberi, hæc autem ratio formalis hujus concreti Alia, est ipsamet alietas.

DICES I. Alietas quocunque modo sumatur denotat alium esse conceptum formalem unius, à conceptu formali alterius, sed distinctio ut sic, non requirit extrema distinctionis distingui conceptu formali. Ergò distinctio non est alietas.

RESPONDETUR. Ad distinctionem requiri alium Conceptum formalem, non quidem petibilem à diversis specie differentiis physicis, licet requirat alium conceptum formalem, petibilem saltem à diversis formis Metaphysicis, alietatibus, per rationes formabilibus; habito fundamento in re, ut vocant, vel circa rem: quæ alietas ubiq; reperitur, ubi reperitur distinctio; licet non reperiat alietas, petibilis, à diversis formis physicis.

DICES II. Alietas tenet se formaliter & propriè penes extremum à quo fit distinctio, non penes extremum, cujus est distinctio, sed distinctio tenet se penes extremum cujus est distinctio. Ergò distinctio non est alietas.

RESPONDETUR. Alietatem sumptam pro eo quod dicit in recto & subjectivè, esse penes extremum illud, cujus est distinctio; licet sumpta pro eo, quod dicit alietas pro formali & connotato, non dicat extremum cujus est distinctio, quod illi commune est cum distinctione; unde distinctio & alietas in recto & pro subjecto, dicit extremum illud, cujus est distinctio, vel quod est aliud, pro obliquo autem dicit illud à quo distinguitur, à quo dicit alietatem.

DICES III. Hoc ipsum dubium esse, quando nam alietas derivari debeat ab aliud substantivè, quando ab alio adjectivè.

RESPONDETUR. Ipsas Circumstantias esse notificativas, an alietas sit forma substantivi, an non.

DIFFICULTAS II.

An datur & quid sit Distinctio?

DICENDUM I. *Dari Distinctionem.*

PROBATUR I. Auctoritate Philosophi qui 6. Metaphysicorum c. 9. agnoscit distinctionem, quamvis eam appellet nomine diversitatis, ubi post medium inquit: *omnino diversum, dicitur oppositè ad id, quod idem dicitur.* Similia habet 10. Metaphysicorum c. 10.

PROBATUR II. Ratione. Datur ens & entia. Ergò datur unum, & præter hoc unum & unum, ita ut ly unum, corresponsdeat Enti, entibus autem corresponsdeat, unum & unum. Ergò dantur distincta, si enim non dantur distincta, quomodo sunt unum & unum. Unde enim hæc duplicatio unitatis nisi ex distinctione, si autem dantur distincta, datur & distinctio tanquam forma distincti.

PROBATUR III. Vel omnia quæ sunt in mundo, unum sunt, vel non omnia: si omnia sunt unum; ergò mille & unitas, est unum, quod est absurdum; si non omnia sunt unum. Ergò reperitur ratio aliis & aliis, alius enim & alius, sunt negatio unius, & destructio; si reperitur alius & alius. Ergò reperitur & alietas tanquam ipsius aliis ratio formalis. Ergò reperietur & distinctio, quam diximus idem esse, cum alietate.

Quoad Definitionem distinctionis.

Recentior quidam ita definit distinctionem, est exclusio entis vel modi ab eo esse vel essendi modo, non quo ens vel modus entis est.

De hac Definitione

DOCEBAT I. Quod plus significet exclusio quam non inclusio, hinc duo aurei non includunt alios duos aureos, & tamen illos non excludunt ab eodem marsupio; unde non inclusio, stat cum non repugnantia, exclusio autem dicit repugnantiam unius ad aliud.

DOCEBAT II. Se addidisse: idè ly entis vel modi, quia omne quod est, aut est ens, aut modus, sive ille modus sit entitativus sive modus rationis.

DOCEBAT III. Idè se addidisse quod sit ab eo esse vel essendi modo exclusio alius entis, ut ostenderet duo extrema esse in distinctione, unum quod distinguitur, & aliud à quo fit distinctio. *Hæc definitio*

NON SATISFACIT. Tum quia est obscura, facilius enim movet sui sensum hic terminus distinctio, quam adlati in definitione termini. Tum quia videtur superflue ly modus vel ly modo essendi; hæc enim omnia importantur à termino Ens, unde videtur definitio methodo divisivâ procedere. Tum quia prior est exclusio entis, non quo ens est, præ distinctione. Quod ipsum probatur. Quia distinctio est

est in ordine ad aliud, exclusio prædicta non est ad aliud, quando enim primò intelligitur constitui res in ordine ad se, præcedereq; distinctionem, constitutio illa in ordine ad se non est intelligibilis, quin simul sit exclusio negationis sui, adeoque exclusio entis non quo ens est; siq; per impossibile non essent alia, etiam imaginariè, non esset distinctio, & tamen esset ens, adhuc illud deberet intelligi excludetis, negationem sui. Ergò cum sit quid prius exclusio, & quid posterius distinctio, alia erit formalitas exclusionis, alia distinctionis, consequenter non poterit distinctio per exclusionem definiri, sicut non definitur risibile per admirativum, cum risibile sit quid posterius, admirativum est quid prius.

DICENDUM II. *Definitivè distinctionem per positivos terminos, esse alietatem unius ab alio, per terminos autem negativos, esse carentiam identitatis inter duo extrema.*

PROBATUR. Quia hæc definitio procedit secundum regulas bonæ definitionis.

DICENDUM est III. *Distinctionem in re nihil aliud esse, nisi ipsam entitatem extremi vel quasi entitatem, ita ut pro subiecto ipsam entitatem extremi distinguibilis dicat: pro connotato autem dicat carentiam identitatis seu alietatem ab alio, quod importet distinctio ipsam entitatem extremi distinguibilis.*

PROBATUR. Quia distinctio non est quid superadditum entitati, illoque ablato nihil deesset quominus hoc sit aliud & hoc aliud, adeoque distinctum, & sicut unitas non est quid superadditum, ita nec distinctio: quod verò importetur pro obliquo illa alietas vel carentia identitatis. Probatur. Quia per nihil aliud potest transiri à non esse distinctionis ad esse distinctionis, nam ipsa præcisè entitas, est quid commune etiam non distinctis, nam etiam identitas, est ipsamet entitas.

DIFFICULTAS III.

De Divisione Distinctionis & Natura extremorum ejusdem.

DICENDUM I. *Distinctionem in communi rectè dividi in distinctionem realem & rationis.*

PROBATUR. Ens in communi rectè dividitur in ens reale & rationis. Ergò & distinctio, rectè dividetur, in distinctionem realem & rationis: quia distinctio sequitur ipsum esse, ipsumq; ens, importat semper aut identitatem, aut carentiam identitatis.

DICENDUM II. *Inter distinctionem realem & rationis, nullam dari mediam, quæ neque sit ad hoc, neque ad illud membrum revocabilis. Ita Suarez. Disp. 7. Sect. 1.*

PROBATUR I. Quia non potest ostendi ista distinctio, media inter realem & rationis, quæ non revocetur, ad aliquod ex his membris.

PROBATUR II. Non datur medium inter ens reale & rationis. Ergò neque datur medium inter distinctionem realem & rationis. Quod ipsum sic proponitur: unum & multa sequuntur ens, sed si non essent tot genera distinctionum, quot sunt entium, unum & multa non sequerentur ens, jam enim per te non daretur medium inter ens reale & rationis, daretur autem medium inter distinctionem realem & rationis. Quod autem unum & multa consequantur ens supponitur ex dictis supra, & ex intellectione terminorum.

PROBATUR III. Quia nomine distinctionis realis, venit distinctio, quæ est nemine cogitante, nomine distinctionis rationis, venit distinctio, quæ non est nemine cogitante, inter hoc autem: quod est & non est nemine cogitante, non potest dari medium; sicut nec datur inter duo contradictoria.

DICES I. Datur distinctio ex natura rei Scotistica, & tamen ista neque est realis, non enim est inter membra distincta realiter, nec est distinctio rationis, cum sit nemine cogitante.

RESPONDETUR. An detur hæc distinctio de hoc infra, si daretur, revocaretur ad distinctionem realem, prout illa sumitur pro ea distinctione, quæ non est per solam rationem.

DICES II. Datur distinctio modalis, & tamen hæc neque est distinctio realis, quia non est inter extrema separabilia, nec est distinctio rationis, quia est nemine cogitante.

RESPONDETUR. Revocari illam ad distinctionem realem, in quantum illa supponit pro distinctione nemine cogitante.

DICES III. Non constare unde nam distinctio realis sumatur pro distinctione nemine cogitante.

RESPONDETUR. Id constare ex suppositione in qua hic & nunc discutitur.

DICENDUM est III. *Inter distinctionem realem & rationis, dari in hoc sensu distinctionem mediam, quod detur aliqua, quæ neque est rigorosè distincta realiter, neque rigorosè distincta, solâ ratione. Probatur, quia dantur modi, qui neque sunt res rigorosè, sed rei, deficiuntque à ratione rei, neque tamen sola ratione distinguuntur à modificatis.*

DISTINCTIO realis subdividi solet in virtutalem, potentialem, formalem ex natura rei. Rursus realis distinctio alia est inter terminos positivos ut inter Petrum & Paulum. alia inter terminos negativos, ut inter ens & non ens, lucem & tenebras, alia est actualis, quæ est inter existentes actu terminos, alia potentialis, qualis est inter terminos potentiâ, ut inter partes continui, alia est adæquata, inter ea scilicet quorum unum non includit aliud, ut Petrus templum.

Alia

Alia inadæquata, quorum unum est includens aliud inclusum. Denique distinctio modalis de qua infra.

DISTINCTIO rationis subdividi potest, in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ non habet fundamentum in re, & distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ habet hoc fundamentum.

An hircocervus & Leomus sint inter se realiter distincti nemine cogitate, quæstio erit de voce: si enim intelligas nomine distinctionis realis distinctionem, quæ sit inter res, quæ sunt nemine cogitante, non erunt hæc entia rationis distinctæ realiter hoc sensu; quia non sunt entia realiter, hoc autem sensu erunt distincta, quia prædicata v.g. hirci, reperibilia in hircocervo, & prædicata Leonis, reperibilia in Leomure, sunt nemine cogitante distincta. Supposito quod accipiant illa entia esse jam ab intellectu.

Quod attinet ad naturam extremorum distinctionis.

DICENDUM est. Si per distinctionem actua-lem intelligas distinctionem nemine cogitante illa non requiritur existens utrumque extremum.

RATIO. Quia antequam creaturæ existebant, dicebat Deus alietatem ab illis; seu carentiam identitatis realis cum illis, adeoque dicebat & distinctionem, & tamen creaturæ, non existebant. Indubie tamen non erit distinctio actualis inter Deum & creaturas ab interno, si nomine actualis distinctionis, accipias distinctionem inter extrema actualia reperibilem.

QUÆSTIO II.

De Distinctione reali rigorosa inter rem & rem.

Quæstio hæc imprimis inquireret: quid sit hæc distinctio, deinde, de signis ejusdem discurret, & sic

DIFFICULTAS I.

Quid sit Distinctio realis rigorosa.

Scri non poterit quid sit distinctio realis, si non pernoscat quid sit res, hinc

PRÆMITTO. *Quid nomine rei apud Alros veniat.*

I. Averroes rem pro opinabili sumit, deducendo rem à reor, ipsum autem reor, significat idem quod sentio, opinor. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non entia non sunt res, & tamen etiam de non entibus opinari possumus. Deinde quando dicitur, opinor hanc rem, non est sensus opinor opinionem, sed opinor de objecto opinionis, quod est res, de qua se, quæritur quid sit?

II. Nomine rei venire solet prædicatum transcendente etiam differentiis entis competens, primumque locum obtinet in voce illa Reubau. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Quia quæro de hoc ipso, quid est hoc prædicatum res, quod ceteroqui sumitur pro prædicato transcendente.

III. Nomine rei venire solet id, quod habet esse independens ab intellectu. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Quia multa sunt quæ essentialiter sunt verum, nec vocantur res, & tamen sunt independentes ab intellectu ut modi entitativi, relationes sunt independentes ab intellectu, & tamen non sunt res.

IV. Nomine rei venire solet ex Hurtado Disp. 10. Metaphysicæ Sect. 2. ipsa substantia rei, quæ sit ejus naturæ, ut stante illa & mutatis reliquis, maneat idem ens, illa verò mutata, stantibus aliis, non sit idem ens, sic v.g. substantia panis est res, nam ex vi formæ consecratiivæ sublata illa, jam non est res panis, quamvis reliqua maneant accidentia. Dæmon autem assumens figuram & accidentia suis, non est sus, quia non accipit ejus substantiam. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Quia multa sunt res quæ non sunt substantia, nam & ipsa accidentia sunt res, & tamen non sunt substantia.

V. Nomine rei venit apud Scotistas Formalitas, quæ conjuncta cum altera ratione, extrahit illam ad alterum entis gradum, sic v.g. rationalitas apud ipsos est res, quia extrahit animalitatem, ad esse hominis, gradus autem caloris additus alteri gradui, non est res, quia ad aliam speciem non extrahit calorem. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Tum quia ex communi acceptione, etiā qualitas & gradus caloris, est res, tum quia ponamus ad unum caloris gradum apponi miraculose alium specie distinctum, tunc jam calidum ad aliam speciem calidi extraheretur. Ergo potest qualitas nomen rei mereri quod universaliter negabat Scotus. Tum quia alicui substantiali rationi, addita alia ratio, quando extrahit illam ad aliam speciem, est verè res. Ergo & ratio accidentis talis, addita alteri rationi, quando extrahit illam ad aliam speciem accidentis, erit verè res. Et sic quia qualitas extrahit rationem accidentis ad rationem qualitatis, item quantitas ad rationem quanti, verè & quantitas & qualitas erit res.

PRÆMITTO II. *Quid nomine rei sit accipiendum, idque tali discursu explicatur.* Omnia inferiora, sunt per modum concretorum quorundam rationem superiorem contrahentium; & ita v.g. ratio entis completa, quæ est ratio inferior, contenta sub ratione abstractissima entis, est quoddam concretum ex ente abstractissimo & completionem, vivens item contentum sub ratione superiori, quæ est substantia, est concretum